nostro sine immenso meritorum cumulo Cælitus fuisse in,
futum? quid plura desideratis? cum res ipsa pomeridiana
luce clarior, quid si nunc nobilem illam martyrii coronam
à multis tam ardenter desideratam, nec impetratam comme,
morem? hanc cur fortissimo huic athletæ donatam dicitis?
nonne viderit illum supernus rerum omnium inspector legiti,
mè certasse? corona proinde dignissimum iudicasse? ac deniq
etiam donasse? mitto hîc alia quam plurima, singularem
et Apostolicum illius spiritum Zelum et gratiam in semi,
nando Dei verbo, in propagando defendendoq illius honore
et gloria, hæc omnia tacitus prætermitto, admirabilem eti,
am per annos omnino quinquaginta in eremi vastitate, in
regione frigidissima, inter barbaras gentes, annos omnino
quinquaginta, quod rarum aliquid etiam in ipsis vitis pat,
rum fuisse legimus, ne verbo quidem attingam, sed quorsum hæc
omnia referenda putatis? ubi terrarum? ubi locorum? ubi gentium?
hæc omnia didicisse censetis? ubi nisi in hoc potissimum cœnobio,
sicut enim dum arborem præstantissimis fœtam fructibus admi,
ramur, cui id tribuimus? an apici? at per se nihil ille potest
nec efficit, an ramis? stirpi à qua propagantur debent om,
nia, stirpi ne igitur? at à radice omnia sua bona mutuat
et emendicat, certè igitur radici tribuendum? sed quid radix
sine pingui solo? corpus sine anima, semen seminatum in pet,
ra, solone igitur adscribendum putatis? solo omnino, et solo
quidem, ex hoc vires, ex hoc vigorem, ex hoc animam quidquid
in arbore laudamus accipit, sic Aud: benevoli dum in Eu,